

EXEMPLUM LITERARUM

Ad

Serenissimum ac Potentissimum Poloniae
Regem ac Magnum Ducem
Lithuaniae, &c.

à

Serenissimo Electore Brandenburgico
exaratarum,

Quibus
ad injurias ac immeritas exprobrationes, quae in Uni-
versalibus stylo Polonico publicatis continentur,
respondetur.



*Serenissime & Potentissime Rex,
Domine Cognate & Frater
colendissime.*

Nisi generosum ac magnum Regiae
Maj. Vrae animum probe cognitum habere-
mus, esset quod cum Eadem conquereremur de
insolito scribendi genere, quod conspicitur in
literis, quas vocant Universalibus, die 15. Novemb. ad Nobili-
tatem Poloniam exaratis, sed tantum abest, ut easdem ex men-
te Reg. Maj. Vrae confectas esse vel suspicari saltem nobis liceat,
quin potius sole meridiano clarius constet, scriptorem earun-
dem abuti voluisse nomine Regio, ut virus odii ac livoris intra
viscera conceptum, nec tantum contra Nos, sed & contra Reg.
Maj. Vram ac Inchtam Remp. seviens, sub tanto clypeo tutius
ignoto



ignoto adhuc evomeret stylo. Privatorum est, convitiis ac maledictis certare, Reges ac Principes vile istiusmodi atque abjectum scribendi genus abhorrent, & infra dignitatem suam putant esse, nec immerito, cum Principum injuria Principibus debeant esse cordi, nec fieri aliter possit, quin unius honor lesus in alterum redundet. Quod adeo verum, ut & illi, qui hostes aperti ac declarati bello invicem sese prosequuntur, indecorum tamen putent, convitiis sese proscindere. Sed nec injuriis tantum scatent ista litera, ipsa etiam veritatis lux & factorum evidentia apertissime iisdem impugnatur. Afferitur bellum Nos intulisse Reipubl. at Nos publicis declaravimus scriptis, quod aeternum istud cum Inclyta Repub. pactum foedus sancte ac inviolabiliter servare, & quae Nobis ex eadem praestanda incumbunt, religiose prestare velimus. Nec verbis tantum hoc, sed & ipso jam declaratum facto, nam statim atque hypothecam, pacto jurato adeoque divino ac humano jure Nobis debitam, consecuti sumus, ab omni abstinuimus vi, quin & ex ipsis ditionis legibus pateat, ultra hypothecarium istud jus nihil Nos prosequi, cum Urbs ipsa adhuc in fide ac sub juramento Reg. Maj. V. r. e maneat, & jura, quae eandem Reipubl. alligant corpori, sarta tecta ipsi servata sint. Quod deinceps Scriptor Istarum literarum ipsum foedus aeternum ac juratum Bydgostiense invidiose perstringere ac Nobis ingratitude notam inurere satagat, in eo facit rem se uno tantum dignam. Expendantur saltem verba ac mens istius foederis, & constabit luce meridiana clarius, reciprocam in eodem spectari utilitatem, nec Prussiae supremum Dominium, nec Elbingam, nec caetera, quae in eodem Nobis constituta commoda, absq. gravissimis ac justissimis causis a Serenissima Reipubl. Nobis cessa esse. Non placet beneficia ad mensuram & pondus exigere aut equare, sed actorum fides docebit utilitatem, quam Ser. ma Resp. ex isto percepit foedere, tantum excedere eam, quae ad Nos inde redundavit, quantum restitutio ac redintegratio totius Corporis Reipubl. praestat Juribus ac incrementis quibusdam, quae ad Nos inde provenerunt. Risu potius quam responsione dignum est, quod Auctor per foedus istud Nos ex Illustrissimo Serenissimum esse

esse factum asserat, quasi verò non toti terrarum Orbi constet. Electores Brandenburgicos Serenissimorum titulo jam multò ante gavisos fuisse. Qui verò hic quadret, arrogans obsidionis Viennensis ante Septendecim annos factæ mentio, aliis exanimandum relinquimus. Jura Gentium imò & divina laesa fuisse per negatam Nobis traditionem Elbinga, adeò luculenter Scriptis Nostris demonstratum, ut soli præferre facem videremur, si iis hic immoraremur, quod quidem Nos ab omni contraria imputatione, quam Scriptor literarum Nobis affingere & Nos ex Jurato Amico insidiosum hostem Reip. factum esse impudenter non minus quàm calumniosè asserere nititur, liberat. Porro, si ob id, quòd jus nostrum & fidem pactorum juratam exegimus, vix christiano nomine Nos dignos pronunciare nitatur Scriptor iste, non reperimus, quo nomine illum compellemus, qui omnem decoxisse videtur pudorem, nec minus fidem per falsissimam Regii tituli à Nobis usurpati imputationem. At verò pacta volunt, ut prius Commissarii constituantur aut Mediatores moneantur, quàm ad arma alterutra Partium progredi possit, sed ne in animum quidem induximus armis aggredi Remp. & deinceps eadem pacta volunt, ut quam primum recuperata fuerit Elbinga, nemini quàm Electori Brandenburgico vacua illius possessio tradi debeat, NB. Citra ulla prætensionem vel dilationes. Recuperata fuit Elbinga, traditionem Serenissimus Parens Noster ex pactis per totum quinquennium continuum literis, Legationibus, Internunciis, petiit & insecutis temporibus repetiuit, sed frustra. Pacta clara ac liquida sunt, eorum executio petebatur, quid opus erat Commissario aut Mediatore, ut id, quòd pacto apertissimè constitutum erat, ad effectum deduceretur. Nec enim Mediatoris erat cognoscere, an Pacta ac Promissa servari ac præstari deberent. Ad res dubias ac controversas, Mediatores aut Commissarii adhiberi debent, quod etiam pactorum tenori consentaneum est, non ad res claras ac liquidas. Quæ sanè apertissima fuit mens Paciscentium, ut patet ex verbis dispositivis, quòd Elbinga citra ulla prætensionem vel dilationes tradi debeat. Et certè, si Inclita Resp. prætensionum quid contra Nos habeat, non

70 1096 A

non defugiemus nec Mediatores, nec Commissarios, coram quibus longe graviores ac liquidiores, quæ Nobis competunt, discuti debent, quin & oblatam à Serenissimo atque Potentissimo Imperatore Romano mediationem jam acceptavimus. Prestabit utiq; de Elbingæ restitutione amica tractatione juxta pactorum tenorem agere, quàm dubiam armorum sortem, sed pericula ac damna certa experiri. Scriptor quidem literarum jam classicum, jam arma virosque canit, jam ad bellum & cædes provocat, sed quo in Reg. Maj. V. ram quo in Inclytam Remp. animo; Deo Opt. Maximo, qui intima cordium scrutatur, notum est; An adeò leve ipsi videtur amicas vicinas ac eterno fœdere junctas gentes in mutuam lanienam ac ruinam propellere, ut nimirum mutuis attriti viribus tertio cuidam præda fiant. Utcunque res cadat, si ad bellum deveniatur, exitium atque excidium utrique genti certum est, nec aliud Victorem præmium manebit, quàm ut lugeat victoriam. An publicus Patriæ Hostis exitiosius quid suadere ac machinari posset? Nos quidem certi sumus, non tantum Reg. Maj. V. ram sed & omnes probos ac fidei amantes Viros, qui Patriam ac Remp. amant, ab infaustris ejusmodi consiliis abhorrere. Quæ mens Nobis sit, ex Scriptis quæ vulgavimus, patet. Reg. Maj. V. ram colimus & amamus, Inclytam Remp. eterno amicitie ac fœderis vinculo stringimus & complectimur, fœderis atq; quod Nos invicem jungit, observatio religiosa semper Nobis curæ cordique erit; Quod si præter spem & præter jus fasque, sed juxta mentem ac votum Scriptoris, bellum Nobis inferre animus sit, inviti quidem ac reluctantes adversus amicissimam ac fœderatam Gentem descendemus in arenam, sed freti justitiâ causæ nostræ, & auxilio Dei, Vindicis violatæ fidei, injustam vim vi justa repellere nitemur; sed meliora Nobis à generosa ac justa mente Reg. Maj. V. ræ promittimus, quam sospitem ac florentem ex animo cupimus. Dabantur ex Arce Nostra Coloniae ad Suevum, die 22. Novemb: 1698.

FRIDERICUS ELECTOR.

1077

HL

h. 6, 5.

(X1947193)

V2
1096

EXEMPLUM LITERARUM


Ad

Serenissimum ac Potentissimum Poloniae

Regem

Serenissimo


ad injurias ac im
verfalibus style



Serenissi
Dom




literis, quas vocant
tatem Polonam exa
te Reg. Maj. Vrae co
quin potius sole me
dem abuti voluisse
viscera conceptum.
Maj. Vram ac Inch



n

burgico

quæ in Uni-
nentur,



Rex,
er

um Regie
nitum habere-
quereremur de
conspicitur in
mb. ad Nobili-
isdem ex men-
em nobis liceat,
iptorem earun-
ac livoris intra
l & contra Reg.
to clypeo tutius
ignoto

